

# Circolare della S. Congregazione per la Dottrina della Fede sul matrimonio

---

*La Nunziatura Apostolica in Italia, con lettera n. 4154/73 del 2-V-1973, ha trasmesso il seguente documento con preghiera di portarlo a conoscenza degli Ordinari.*

SACRA CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI — PROT. N. 1284/66, 139/69 —  
ROMAE, DIE 11-IV-1973.

Excellentissime Domine,

Haec Sacra Congregatio cuius munus est doctrinam de fide et moribus in universo catholico orbe tutari, vigilanti cura observat diffusione novarum opinionum, quae doctrinam de indissolubilitate matrimonii a Magisterio Ecclesiae constanter propositam vel negant vel in dubium vocare satagunt.

Huiusmodi opiniones non tantum scripto in libris et ephemeridibus catholicis propagantur sed etiam in Seminaria scholasque catholicas necnon in ipsam praxim nonnullorum tribunalium ecclesiasticorum in hac vel in illa Dioecesi sese insinuare incipiunt.

Tales insuper opiniones simul cum aliis rationibus doctrinalibus vel pastoralibus hic inde tamquam argumentum sumuntur ad abusus iustificandos contra vigentem disciplinam circa admissionem ad Sacramenta eorum qui in unione irregulari vivunt.

Proinde hoc Sacrum Dicasterium in Congregatione Plenaria anno 1972 habita rem examini subiecit ex cuius mandato, a Summo Pontifice adprobato, Excellentiam Tuam emixe hortatur ad diligentem vigilantiam, ut ii omnes, quibus munus docendi religionem in scholis cuiusvis gradus aut in institutis vel munus officialis in tribunalii ecclesiastico concreditur, fideles doctrinae Ecclesiae de indissolubilitate matrimonii permaneant eamque in praxim apud tribunalia ecclesiastica deducant.

Admissionem ad Sacramenta quod attinet velint item Ordinarii loci ex una parte observantiam urgere vigentis Ecclesiae disciplinae; ex alia parte autem curare ut animarum pastores peculiari sollicitudine prosequantur eos etiam qui in unione irregulari vivunt adhibendo in solutione talium casuum, praeter alia recta media, probatam Ecclesiae praxim in foro interno.

Haec Tecum communicans omni qua par est reverentia permaneo

H. HAMER, *a Secretis*

Tibi addictissimus  
FRANC. CARD. SEPER, *Praefectus*